

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno M DC LXXXII.

BEDÆ PRESBYTERI & FREDEGARII

*Scholastici concordia ad senioris Dagoberti definien-
dam Monarchiæ periodum, atque ad primæ totius Regum Francorum,
stirpis Chronologiam stabiliendam &c. Auctore Petro Franc,*

Chiffletio, Societatis Jesu Presbytero,

Parisiis, 1681. in 4.

COntroversia quædam Chronologica de annis Dagoberti I Fran-
corum Regis, inter eruditos non ita pridem agitari cœpta, opus
hoc edendi occasionem doctissimo Auctori præbuit. Etsi enim ex
Fredegario, Aimoino, atque aliis certo constat, anno regni sui decimo
sexto Dagobertum illum profluvio ventris extinctum: non tamen,
quo post orbem redemptum anno obierit, æque liquet; aliis in annum
644, aliis in 638 mortem ejus referentibus. Nempe cum Dagober-
tus vivo adhuc patre Clotario, Austrasiæ regnum jam anno 622 ad-
ierit, dubium est, num sedecim illi Regni Dagobertini anni, quos
Fredegarius & ex eo alii memorant, a morte patris Clotarii, quæ in
annum 628 incidit, numerandi sint, an ab exordio potius regni Au-
strasiensis superflite adhuc patre suscepti. Nam ex priori hypothesi
sequitur, ineunte demum anno 644: ex posteriori, jam anno 638 Da-
gobertum e vivis excessisse. Et prior quidem sententia communis
fuit, omniumque recentioris ævi scriptorum comprobata calculo,
donec primus in eam *Hadrianus Valesius Libro XIIIX Rerum Franci-
carum* insurrexit, eandemque post illum *Carolus le Cointe in Annalibus
Ecclesiasticis Francorum, tomo II, III, & IV*, nec non *Job. Mabillonius in
Præfatione tomi secundi Sanctorum Ordinis S. Benedicti, & in Præfatio-
ne Seculi quarti Benedictini*, oppugnarunt, ac imprimis *Hermannus
Contractus in Chronico auctiore*, quod *Henr. Canisius tomo 1. Antiq. Le-
tion.*

Tt

tion. edidit, auctoritate subnixi, rejecta priori, posteriorem hypothesin adstruere sustinuerunt. Ea itaque res tanti visa Auctori nostro fuit, ut sententiam communem excutiendam accuratius, & adversus clarissimos hosce Triumviros peculiari Dissertatione propugnandam censuerit: qua ipsa *Fredegarium* primum, quo male intellecto *Hermanum Contractum* in errorem olim lapsum, nuperque memoratos supra viros præcipites secum egisse contendit, sic explicat, ut vulgarem hypothesin firmare potius, quam labefactare videatur; eandemque porro & aliorum auctoritate, & argumentis quam plurimis, tum ex gestis contemporaneis, tum ex secutorum temporum contextu depromtis comprobare nititur; cometa etiam qui anno Christi 677 per tres menses orbe toto spectatus est, in subsidium vocato. Qua occasione, inserta etiam Dissertationi *Vita S. Baboleni Auctore Anonymo*, quam mutilam primo *Historia Francica Tomo Andreas du Chesne* ediderat, ac notis illustrata, id agit Auctor, ut totius prope septimi a Christo nato seculi Chronologiam, impeditissimam utique in Francica Historia ac difficillimam, expediat stabiliatque, ac lectori adeo non tam Disputatiunculam de sex vitæ annis Dagoberto seu detrahendis, seu vindicandis, exhibeat, quam restitutæ seculi integri Chronologiæ, lucisque Francorum Annalibus tam ecclesiasticis, quam civilibus passim affusæ gloriam reportet. Denique Dissertationi huic Appendicem de S. Dionysio Arcopagita & S. Genovefa Parisiorum patronis, subjunxit Chiffetius, ac in ea *vitam S. Genovefa Auctore Anonymo*, sed qui testis ab ejus obitu annis scripsisse dicitur, ex pervetusto codice, notis suis illustratam, non alio instituto, quam ut S. Genovefæ testimonio suum Parisiensibus Arcopagitam assereret: tenax nimirum sententiæ, quam de uno Dionysio, primum Arcopagita & Episcopo Atheniensi, tum deinde Parisiensium Apostolo & Martyre, jam ante eum Germano Millero, Joanne Samblacato, Hugone Menardo, Petro Halloix, Natali Alexandro, aliisque, adversus Jacobum Sirmondum & Joannem Launoium, qui Dionysium Arcopagitam Atheniensem Episcopum, a Dionysio Parisiensium Episcopo longe diversum fuisse eruditis scriptis docuerunt, defendendam peculiari Dissertatione, sed cui a Launoio pridem responsum est, susceperat.

Ceterum cum in hac Disquisitione *Bede Presbyteri*, quem Venerabilem vocant, appellanda subinde auctoritas esset, ejusque cum

Fred

Fredegario concordia circa hoc negotium demonstranda: in Chiffletii vero manus *Historiæ illius Ecclesiasticæ gentis Anglorum*, tum codices manuscripti alii, tum vetustissimus S. Maximini Trevirensis pervenissent; novam *Historiæ illius* editionem adornandam sibi, & Dissertationi de annis Dagoberti præmittendam censuit. Atque ea una cum præliminari *Dissertatione de Bedæ ejusque ætate, ac vero obitus anno*, nec non *Cuthberti ad Cuthvvinum Epistola*, ex qua anno 762 eum obiisse constat, ac *Chisletii in Bedam notis*, primam hujus operis partem constituit; estque nova hæc Ecclesiasticæ illius gentis Anglorum *Historiæ editio*, ut Auctor ipse prædicat, tum aliis omnibus, tum *Heidelbergensi* quoque anni 1587, & *Cantabrigiensi* anni 1644, quas accuratissimas hæctenus habuimus, emendatior, nuncque demum primævo nitore suo restituta.

DISQUISITIO THEOLOGICA DE SANGUINE Corporis Christi post resurrectionem, ad

Epistolam 146. S. Augustini.

Autore Theologo Parisiensi, Metropolitana

Senonensis Ecclesiæ Decano.

Parisiis, 1681. in 8.

Disquisitio hæc *Jacobum Boileau*, Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctorem & Socium Sorbonicum, nec non Metropolitanæ Senonensis Ecclesiæ Decanum, autorem habens, opponitur *Petro Allixio* Reformatæ, quæ vulgo sic dicitur, Religionis apud Charentonios Ministro, qui A. 1680 ejusdem argumenti disquisitionem eo consilio ediderat, ut doctrinam de reali Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento Cœnæ præsentia Ecclesiæ primitivæ ignotam fuisse, ex ista Augustini epistola Lectoribus suis persuadere posset. Enim vero inter varias quæstiones, quas Consentius quidam Augustino diluendas per epistolam proposuit, primo loco hæc occurrit: *Utrum nunc corpus Domini ossa & sanguinem habeat?* Quam quæstionem *Augustinus in epistola 146*, qua Consentio respondet, discutere detrectat, his inter alia verbis utens: *fides adsit, & nulla quæstio remanebit, nisi forte de sanguine requirendum est, quia cum (Christus) dixisset: palpate & videte, quia Spiritus carnem*

T t 2

& ossa

& ossa non habet, *non addidit sanguinem*. Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere, & de compendio, si placet, finita sit quaestio &c. Ex quo praedictus Autor infert, incredibile videri, quod Hipponensis ille Praeful & Consentius, quem itidem Episcopali dignitate praeditum fuisse suspicatur, realem sanguinis Christi in Coena praesentiam crediderint, cum, si illam firmiter credidissent, neque Consentius quaestionem hanc tam dubitanter proponere, nec Augustinus tam trepide ad eam respondere potuisset. Cui argumento ut pondus addat, non modo Augustinum de sanguine Christi redivivi dubitasse, aut aliis saltem liberum dubitandi locum reliquisse, sed plures etiam Ecclesiae Doctores, quorum testimonia longo agmine adducit, *Athenagoram, Clementem Alexandrinum, Origenem, Hilarium Pictaviensem, Gregorium Nazianzenum, & Nyssenum, Palladium, Basilium Magnum, Athanasium, Theodoretum, Chrysostomum, Synesium, Maximum, Damascenum*, & integra Concilia, *Constantinopolitanum* scilicet A. 754 celebratum, & *Nicenum* II, Christi corpus post resurrectionem aereum & exangue statuisse, probare nititur. Hanc vero disquisitionem Metropolitanae Senonensis Ecclesiae Decanus ex professo confutandam sibi sumit; ac primum quae Augustini de Christi sanguine sententia fuerit, & cur in Epistola ad Consentium, quam Benedictini Monachi Congregationis S. Mauri in nova Augustini editione A. 420 scriptam esse censuerunt, & ad numerum CCV retulerunt, decisionem quaestionis a Consentio propositae declinaverit, ostendit. Deinde Athenagorae & reliquorum modo memoratorum Patrum testimonia ad examen revocat, eosque a sententia corporis aerei & sanguine vacui alienos fuisse demonstrat. Tum ideam futurae resurrectionis, quam S. Scriptura efformat, cum opinione ista, quae glorificatis corporibus sanguinem adimit, minime convenire animadvertit, & subjectis *Ignatii, Hippolyti, Minutii Felicis* & aliorum quorundam Patrum sententiis concludit, Ecclesiae Doctores nunquam corpora nostra post resurrectionem aerea & exanguia fore censuisse, & si Doctores quidam in contrariam sententiam ivisse demonstrantur, dubitandi locum non relinqui, quin opinio eorum insolens, Scripturae contraria & in Ecclesia intolerabilis visa fuerit. Tandem vero opinionis ejus, quae Christo corpus sanguine destitutum & in aerem diffusum tribuit, originem & progressum recenset, infantiam & prima ejus incunabula ad *Osiandrum*

drum & Calvinum referens, cum Osiander sanguinem a Christo effusum non in venas rediisse, sed computruisse sibi persuaserit, & Calvinus, quamvis Osiandrum satyrico sale defricet, ab ea tamen sententia haud fuerit alienus, ejus rei testem Vossium *in thesibus Theologicis & Historicis* allegat. Et *Vossius* quidem inter patronos ejus opinionis etiam *Dominicum Dominicanum* Episcopum Torcellanum & Brixianum retulit, ut qui ante sesquiseculum quæstionem illam de Christi sanguine ancipiti lance librari posse, libro de sanguine Christi dedita opera scripto ostenderit. Verum hoc Autor disquisitionis hujus negat, cum Dominicus ille de Dominicis, Scholastica quadam contentione circa articulum de sanguinis Christi unione cum Deitate inter Franciscanos & Dominicanos oborta, lucubrationem quidem de ea quæstione *Æneæ Sylvio* seu *Pio II* inscripserit, at de vero Christi sanguine, quod ex ista lucubratione haud difficulter pateat, minime dubitaverit. Igitur ab Osiandro & Calvino ad *Edmundum Albertinum* progreditur, in cujus libris de Eucharistia opinionem de exangui Christi corpore ad pubertatem pervenisse censet; ubi simul ea, quæ circa controversiam de concomitantia sanguinis Christi, cum *Fr. Amante Brixiano* in Concilio Tridentino gesta sunt, e *Paulo Servito*, qui sub Petri Suavis nomine latet, & *Pallavicino* obiter memorat. Postremo adolescentiam ejus opinionis Historiæ Eucharisticæ Gallico sermone conscriptæ Autori, cui nomen est *Larroque*, virilem vero ætatem & fortasse senium *Petro Allixio* tribuit, quem disquisitionis a se impugnatæ Autorem esse sibi firmiter persuadet, & quem cum sociis ex penuria argumentorum, contra realem corporis & sanguinis Christi in Cœna præsentiam quæstorum, ad extrema hæc, sed infirma laborantis causæ præsidia adactum judicat.

CASPARI KNITTEL è SOCIETATE JESU

Via Regia ad omnes Scientias & Artes.

Pragæ, Anno 1682 in 8.

Ipsa quidem scientiarum & artium genera unius in compendii formam redigere non propositum hic est Autori; regiam modo viam monstrare hoc scripto voluit, ad arcana singularium facilius perveniendi; seu universalem methodum potius in cujusvis disciplinæ probe

observandam studio. Decem vero partibus veluti quibusdam intervallis Via universa distinguitur.

Postquam enim possibilem ejusmodi artis existentiam ex *Prædicamentis* Pythagoræ, ex Aristotelis *Logica*, ex *Arte Mirabili* Raymundi Lullii, ex *Syntaxi Artis Mirabilis* Gregorii Tolosani, ex *Typo Omnium Scientiarum* Ægidii Moncurtii, ex *Arte Cyclognomica* Cornelii Gemmæ, ex *Methodo Mirifica* Petri Sanchez, ex *Digesto Sapientie* Ivonis Parisini, ex *Instauratione nova novoque Organo* Francisci de Verulamio, ex *Pharo Scientiarum* Sebastiani Izquierdi, ex *Arte Magna Sciendi* Athanasii Kircheri, & similibus suasisset in parte prima;

In *secunda* proponit artificium combinandi res quocunque: quemadmodum in *tertia*, easdem comparandi, seu analogias rerum, similitudines & dissimilitudines inveniendi. Hisce duabus enim alis instructum, in ardua quarumvis facile artium evolare posse persuasus est. Et Combinatoriam quidem istam in Anagrammaticam dispescit, Algebraicam, Elementarem, & aliam quæ edoceat, quoties artis, aut scientiæ cujuslibet principia, terminos, propositiones, syllogismos combinare fas sit. Hinc quot inter se modis permutari cujuscunque numeri res possint ex multiplicandi ostendit lege; a rerum interim permutatione, combinationem earundem discernens, fructusque varios enumerans, quos in locis Dialecticis, in modis figurisque syllogisticis, in corporum primis qualitatibus constituendis Aristoteli; in extruendis vocabulorum anagrammatis, Poetis: Kircheri in Musarithmica, in Polygraphia Universalis, in Arca Mathematica, in Artificio mirifico linguarum, in Physiognomico, Medico, Chymico, aliisque arcanis inveniendis, præstitisset hæc ipsa *Combinatoria*.

Analogicam deinde exemplis illustrat, universali maxime, a tribus petito mundis, nexu continuo copulatis. *Majoris* enim cognitioni intentum contemplari *minorem* jubet, & vice commutata: *medii* vero, id est, Politici orbis notitiam anhelantem, alterutrum, aut utrumque percurrere, & in cunctis singula per analogiam applicare singulis: Ita fore, ut omnia in omnibus, & in singulis singula reperiantur proportionaliter. Jam quantum hoc genus artis scientiis commodet, cum addiscendis tum inveniendis, quibusve de causis

id præ-

id præstet, edisserit: nec non quomodo unius Scientiæ principia ad aliam trahi possint & applicari; Medica v. g. ad Politicam, Metaphysica ad Physicam, proprietates puncti ad DEUM, qualitates Solis ad cuncta divinæ humanæque Sapientiæ semina.

Quarta parte Universalem sciendi artem persequitur, Hebræorum, ex alphabeto; & Pythagoricorum, e numeris Scientiarum omnium secreta indagantium. Ubi de vanitate hujus artis, de Cabala Hebræorum falsa, ut & genuina; de abusu divinorum nominum apud Hebræos; de Cabala Pythagoricorum, de Prædicamentis Pythagoræ, eorumque origine & obscuritate, plura asseruntur.

Quinta sistit Aristotelicam, e Logicis Philosophi libris sic deductam, ut quantum doctrina unaquæque Organo comprehensa in universalis hujus artis usum conferre possit, nervose ostendatur. Lullianam examinat parte *sexta*, ejusdemque non synopsis modo tradit & praxin, sed defectus quoque varios, inutilem eam efficientes: *Septima*, Lulliano-Kircherianam cum fundamentis suis & principiis, universalibus subjectis, usu, & addiscendi eam ratione.

Octava delineat Autor tironi propriam. Analytico-Syntheticam dixit, seu Resolutorio-Compositoriam, quod Analysis & Synthesis, hoc est, resolutio quæsitæ in aliqua principia, & probatio ejusdem ex principiis, nec non deductio ejus ad impossibile aliquod, utramque paginam hic faciant, sive in probanda thesi versetur, sive in oppugnanda. Deducere autem dicto jam modo consequentias ex re oblata cum difficile tironi videatur, perlustrare eundem propositi prædicatum jubet & subjectum, nec definire modo utrumque, sed etiam dividere: qua occasione adminicula ad utrumque præstandum varia, nec contemnenda, eidem subjicit, nullumve causæ genus ostendit esse, cujus ope rem explicare, nec ullum dari prædicamentum, cujus beneficio rem dividere non liceat.

Præcepta artis hunc in modum tradita, *Nona* parte magno illustrantur, ne de universali praxi quis dubitet, exemplorum cumulo, depromptorum è Scriptura Sacra, Theologia Scholastica, Polemica, & Morali; ex Jure Canonico, & Civili; ex arte Medica, & Chymica; ex Metaphysica, Physica & Logica; ex Ethica, Oeconomica, & Politica; nec non Mathematicis; ex Rhetorica, ac Poetica; ex Agricultura deniq; & arte molitoria.

Extremum Regiæ hujus viæ praxes exhibet non parum curiosas, viginti septem numero, expeditè diffuseque discurrendi, disputandi, quæ-

quærendi, respondendi, scribendi, argumentandi &c. de quocunque themate, juxta artium hucusque propositarum, Analogicæ cumpri-
mis, ductum institutas. Quas inter loco non postremo habendus est
partus ille artis analogicæ satis ingenii habens & festivitatis pluri-
mum, qui modum non unum nobis præbet de quocunque themate con-
cionandi perorandique ex tempore, & pro eodem ex omni prorsus
verbo, etiam minimo, non inveniendi tantum argumenta, sed memo-
riæ quoque imprimendi. Septem quippe argumenta dicendi de *Hu-
militate* v. g. quam sit accepta DEO, derivat, nec invita adeo Minerva,
ex Virgiliani versus vocibus: *Ille ego, qui quondam gracili modulatus
avena*, pag. 376. seqq. Rursus diversa de *immaculata Conceptione* disse-
rendi argumenta ex illo Grammaticorum, *Quæ maribus solum tribu-
untur, mascula sunt*, & quidem e singulis ordine verbis, arripit, p. 392.
Sic de *laude Principis* acturo, materiam vculæ sex, in Orationis Do-
minicæ præfatione contentæ suggerunt: de *Charitate*, octo argumen-
ta illud Psalmi, *Dixit Dominus Domino meo: sede a dexteris meis*, sup-
peditat. Postremo *Viri Sapientis laudes* ex analogia, h. e. similitudine
& dissimilitudine, quæ illi cum re prorsus disparata, v. g. cum fornace
est, non absurde deducit, quo scil. probatum det, nullum sibi thema
proponi posse, de quo aptam dicendi materiam capere non queat, ex
verbulo quolibet, & ex re quacunque, utut diversissima.

Quæ sub finem adjecta huic Viæ legitur Mantissa, theses aliquot
Philosophicas cum curiosis incidentibus continet, in Disputatione
quadam pro suprema Philosophiæ laurea a perillustri Juvene, Præside
Autore, propugnatas & defensas.

**Samuelis Pufendorff Einleitung zu der Historia
der vornehmsten Reiche und Staaten / so ieziger Zeit
in Europa sich finden.**

SAMUELIS PUFENDORFII INTRODUCTIO
*in Historiam præcipuorum Imperiorum ac Rerumpublicarum,
quæ in Europa hoc tempore existunt.*

Frankofurti ad Mœnum, apud J. F. Knochium, anno 1682. in 8.

In scho-

IN scholis quidem hætenus opinio invaluit, studiosæ Juventuti veteris historiæ Scriptores potissimum proponendos esse, ut quæ olim post Chaldæos & Persas, a Græcis & Romanis gesta leguntur, cognoscant, neglecto fere recentis historiæ studio. Sed errorem hunc confutavit nuper *Vir præclaris ingenii monumentis celeberrimus, Dn. Samuel Pufendorfius, S.R. Majestatis Suecicæ Conjugis Serenissimæ Secretarius & Historiographus Regius*, qui in gratiam privatorum discipulorum, quos in Academiis olim habuerat illustres, hanc *Introductionem in historiam recentem* composuit, quam cum alii Scriptoris nobilissimi fama allekti, passim describerent, & eam inconsulto Autore typis exscribere publicis molirentur, ipse prius eandem jam in Suecicam. linguam translatam revidens, eo idiomate, quo conceperat primum, hoc est, Germanico, in patria sua publicari voluit. Quo ut præclare de historiæ & prudentiæ civilis studio meritus est; ita ipsi gratiam haut minorem debent historiæ Ecclesiasticæ ac S. Theologiæ cultores. Nam ultimo capite, quod est *duodecimum*, Pontificis R. ac Monarchiæ Ecclesiasticæ statum in compendio solertissime delineat; totam scilicet. ejus ætatem percensens, ut cœperit, utque adoleverit, ut quasi ad quandam robustam maturitatem pervenerit, & ut postea ævo superiori velut consenuerit, ac D. Luthero divinum reformationis opus aggresso, iterum decreverit. Status rationem, ac interesse quod vocant Cleri Pontificii, accurate similiter annotavit, dum arcanas doctrinæ Pontificiæ rationes indagavit atque exposuit. Utilissimam hanc libri partem ante paucos annos non-nemo inscio autore, Lipsiæ & Hamburgi, sub *Basilii Hyperetæ* nomine imprimi curaverat, quam nunc autor doctissimus operi suo, unde quasi resecta fuerat, mutatis quibusdam locis, asseruit. *Status civiles Europæ* eo ordine, quo a quibusdam Geographis sistuntur, describit; præmissa in I. Cap. dissertatione erudita de originibus regnorum ac fatiis diversis Monarchiarum quatuor, imprimis Romanæ. Inde digressus *Cap. II.* Regnum Hispaniæ, *C. III.* Portugalliæ, *C. IV.* Angliæ, *C. V.* Galliæ, *C. VI.* Statum fœderati Belgii, *VII.* Remp. Helvetiorum, *VIII.* Imperium Germanicum, *IX.* Daniæ, *X.* Poloniæ, *XI.* Moscoviæ & *XII.* Statum R. Papæ recenset. Quod dum optima autorum fide nixus, procul habito partium studio præstat, cujusque simul nationis indolem ac characteres, formam regiminis, vires & interesse, quod vocant, politicum, juxta communis prudentiæ re-

Uu

gulas

gulas observat atque declarat. Majus posthac opus, quo historiam belli & pacis Germanicæ complectitur, ab ipso orbis eruditus expectat, quod ut absolvat feliciter, optamus.

EXCERPTUM EX EPISTOLA DN. SIGISMUNDI KONIG M. D. & Inclytæ Reipublicæ Bernensis in Helvetia Physici, ad Dn. Robertum Hooek, Regiæ Societati Anglicæ a Secretis, 2. Cal. Octobr. a. 1681 data, monstri cujusdam morbi, admindorumq; symptomatum Historiam aulo-ψία Collegii Medici Bernensis, aliorumque, nec non auctoritate & directione Magistratus certissimam complexa.

Ex Collectionibus Philosophicis Anglicanis no. 2.
anni 168 $\frac{1}{2}$ p. 68. seqq.

Margareta Lauvvera, secus εὐκεῖνη, Filia circiter ætatis annorum viginti quinque, honestis parentibus legitimo toro nata, Orthodoxia in sinu Ecclesiæ hujus enutrita, nostra concivis, modeste vivens, anno periodi suæ vigesimo primo, qui sæculi fuit septuagesimus octavus, tempore verno menstruis deficientibus incidit in varios cruciatus acerbissimosque dolores, hinc inde jam supernas, jam infernas, jam dextras, jam sinistras corporis partes infestantes, variis subito sæpius ad palmæ latitudinem erumpentibus vesicis, limpida plenis, ardentissimeque flagrantibus, ut ignem sacrum subesse putares; & cito nisi difficarentur, evasit dolor intolerabilis, mentemque deturbans; moxque sedatis ex una, fit eruptio ex altera parte. In his mitigandis & curandis cum detenti in Nosocomio Clementissimi Magistratus (Insula dicto) omnem operam cuncti navaremus, causam tanti mali ad acrimoniam lymphatici humoris singularem, & vim illi in glandulis subcutaneis stypticam impressam, ideoque coagulatum resfluere non potentem referentes, quæcunque ars & methodus docent in demulcendo, dissolvendo, avertendo & vacuando isto humore, adhibebamus, pleraque frustra; dum tandem ratione & analogia ducti ad ptyalismum mercurialem confugimus, cujus effectus respondit: sicque post octimestrem curam mense Martio anno septuagesimo nono e Nosocomio viribus restitutis dimissa ad usum feri lactis caprilli chalybeati relegabatur.

Abhinc

Abhinc integre valuit ad tertiam *Januarii* anni octuagesimi, omnibus functionibus suis incumbens, qua ipsa vesicarum eruptione iterum vexari, auxiliatricesque ac beneficas manus summi Magistratus in Nosocomio expetere cepit, qua ejusdem quinta porrecta, omnis cardo in eo versabatur, ut præcedenti methodo de ptyalismo inniteremur; sed omnibus ante opus esse voluit ad ejusmodi majorum & arduorum remediorum usum corpus disponere, in quod intentis non tamen mota catharsi, fit momentanea a circumferentia in centrum, ab exterioribus in ima penetralia decima quinta dicti mensis humorum reductio, subito omnes evanescunt vesicæ, adeo arcte cuti se infigit cuticula, ne vestigia præcedentium permanserint, ex qua veloci revulsione cum nihil boni ominatus, etsi ægrota Deo hymnum cantaret pro divina subitanea e summis cruciatibus liberatione, sed decubitus acrium humorum in viscus aliquod nobile veritus, licet quinque dies *εὐφορίας* summam ægra percipiebat, nusquam tamen destitit discutientia & diaphoretica temperata propinare, recidivæ vel majoris mali metu.

Evenit vigesima hujus lerna malorum & omnis judicii illusio, querebatur dolorem lumborum, vesicæ, perinæi & inguinum, cum virium prostratione, inappetentia, nausea, notabili inflammatione, & sanguinis *σπυγία*, retentione urinæ, pulsu celeri & intercepto, unde nephritidem concludere erat necesse: quapropter secta vena præparatur ex nephriticis & frigidis seminibus blanda emulsio, injicitur clisma ex emollientibus frigidis paregoricis, mox injectum, omnium stupore, horæ intra quadrantem rejicitur per os; repetitur idem & superne rejicitur idem cum quantitate instar topi lapillorum ad unciam semis, nullis unquam excrementis permixtis. Fiunt in sessus, semicupia, applicantur vesicatoria artubus ad humoris noxiæ revulsionem, anodyna & resolventia lumbis & pubi; repetitur ob æstuantia viscera venæsectio, sanguis apparet rubicundus, insipidus, cum pauco sero subflavo, cito concretus; remittit febris; propinantur ex pulpis decocta solutiva, quæ tamen cuncta cum jusculis, aut aliis assumptis vomendo quantitatem lapidum, mox duriorum instar silicis, & frustra corticum marmoris albo simillima durissima rejecit. Iterum transitur ad clismata pari ut dictum successu per superiora, nisi quod quantitas lapidum excretorum augetur, & ut priores exigui pisorum instar, hi

avellanas minores nuces, quas tamen mox excedebant, magnitudine æquabant. Vesica summo dolore mejendique desiderio premebatur, applicato cathetere ne gutta fluxit, inhærebat ipse velut glutini infixus, ut vi retrahi debuerit, nobisque tangentibus vesicam mucō repletam declaravit. Suspiciabamur non immerito, in renibus & vesica glandisque mesenterii generari calculos, prout in ventriculo & intestinis *aviso* *φ* *la* docuit. Venter in aliquam, non tamen nimiam molem, cum oppressione præcordiorum & spirandi difficultate intumuerat, acutissimum dolorem pungentem & lancinantem in regione dextri renis & sinistri hypochondrii ferens; fragor invicem allidentium lapidum vel admota manu vel citato vomitu audiebatur, in hunc usque diem durans; ac in enixu sæpius observatum, lapillos confractos ab aliis intus restantibus avulsos esse; sed quod maximum est, toto durante morbo, ægra *εὐσπαρκή*, bene colorata, facie florida mansit. Nitebamus itaque omni nervo humorum concretionem impedire, & concretos dissolvere, varia menstrua quærentes in volatilibus martiatis & urinosis, sed extra spiritum nitri in usum vocatum nullum dissolutione efficax esse potuit; & his juxta alia auxilia adhibitis, ut interjectione in vesicam ex variis decoctis tam de mineralibus, quam expressis plantarum succis, persicariæ, &c. ad mucosæ illius substantiæ in vesica dissolutionem, nil tamen obtinere; sed mox anodynis ob exquisitissimum sensum, mirum in isto mucō, concurrere necesse habuimus. Tandem secunda & duodecima *Februarii* extrahebantur Cathetere circiter urina viridis & crassæ uncia quatuor; cibus abhinc paucus, nullaue sitis urgebat. Interim cum unum alterumve cochlear juris carniū vel hordeati, aut alterius sorbilis medicamenti vi caperet, repente revomit de die bis, ter, lapillorum circiter unciam semis ad drachmas sex, plus minus, ad decimam quartam usque. A qua ad sextam decimam *Junii* elapsos quatuor menses, nec edit, nec bibit, sed quamprimum solum cochlear brodii propinaretur, statim vomitu cruento expuit lapillorum majorem quam antea copiam, ut cruciatus contra ipsius voluntatem irritando, omni offerendo cibo potuque abstinere hoc tempore debuerimus. Mansit itaque ægra totum quadrimestre abstemia, non edens, non bibens, non sumens remedii quicquam, quam quinto sextove die cochlear exiguum olei amygdalarum dulcium spiritu nitri imprægnatum, quod optimum solvens in hoc affectu repertum, ægræque supra alia, remedii genus acceptum erat, ut uncias novem ad decem

cem hoc integro tempore adsumserit. Alvus haftenus constricta manens, quum varie clismatibus tentaretur, semper singula sursum rejiciebantur, lapillis varii generis, albicantibus, rufis, griseis, asperis, laxioribus, mollioribus, durioribus magna mole comitantibus; mox homogeneis uniusque substantiae, tophis, silicibus, crustis marmoreis; mox heterogeneis, compositis ex cemento cum silicibus; horum alii cruore, alii mucosyloso obducti, alii omni aliena admissione immunes excernebantur; dysuria premebat, sed non nisi de decima ad duodecimam mane, licet tertia quavis die cathetere injecto, ad uncias duas vel tres pro vice ad summum & mucosae viridis urinae elici possit, cum alius liquor, quam qui per clismata, suppeditatus non fuerit. Attamen his intermediis nullo immutato neque in victu, cum nullum sumpisset, neque in remedio, cum aliud tolerare non posset, & urina sexto *Aprilis* solveretur, unciae tres fluxerunt caeruleae translucentae & tenues, saturate coloratae, nec vero ultra durarunt; siquidem 17. urina iterum subviridis & media parte dissoluto sabulo griseo impleta matula apparuit, unde dissolutio tartari argumentum mox evanescens, cum symptomata doloresque adeo ingravescerent, ut mentem sede moverent, hinc deliria, mox stupor, risus & cantilenae, febris absque sensu, mox atrocissimus lumborum dolor, ut de punctione conquerenti si cultellus agrae admissus fuisset, ipsa intrudisset. Tandem his symptomatibus perversis capti, rati sumus quocunque modo illud corpus movere, quapropter gr. 2. Mercurii vitae in aqua frigida fontana soluti 29. *Aprilis*, ut & gr. 3. 2. *Maji* propinavi, non alio successu, quam quod drachmas septem lapillorum duobus motibus evomuerit. Inde octava *Mercurii* vivi in tanta alvi constipatione uncias quatuor, & ad solutionem tartareae materiae, & excitandum ptyalismum, ut & 10. ejusdem, uncias sex propinavi, sed praeterlapsus *Mercurius* anumque excidens, partim in lecto, partim in hypocausto colligebatur, cujus quantitatem per intestina circulati mecum reservo. Quid ultra? Sic vita agebatur abstemia ad sextam decimam *Junii*, qua intestina aqua frigida eluere magna quantitate, in qua sal polycrestum solutum, statui, duas horas lecto me applicui, de quadrante in quadrantem uncias sex propinando, sic ut libras tres fontanae biberit, os ipsi comprimens, vomitumque cohibens effeci, ut sub vesperam subsequuta sit crassissimorum juxta & durissimorum alvi excrementorum.

dejectio ad, metum ruptionis tantopere anum distendentium, sic quod integris 4 mensibus varie & incassum remediis tentatum, una Aqua omnia fontana solvit: hic deliria remiserunt & appetitus resuscitatus: Ergo ad aquæ simplicis acidularumque usum balneaque transgressum, tertia die omnino reluctante iterum natura abstinuimus. Interim in *Novembrem* alvi dejectio quinta sextaque die pauca sed libera erat, intercidente vomitu, adeo ut calculi jam superne & inferne dejicerentur, tantæ magnitudinis sæpius unus alterque drachmas duas non modo ponderabat, sed excedebat, quorum copia penes me; & facile conjicere est non absque cruore, asperos illos & acuminatos lapillos, summoque dolore dejici potuisse. Hoc intermedio tempore, *Septembris* quippe mense, cum ab eo quo rursus cibum licet paucum caperet, remediis aperitivis, diureticis, emmenagogis, ac diaphoreticis non destitissem, menses, ardentesque vesicæ quales prius, erupere: Unde spes λύσεως & μεταστώσεως affulsit, ni cito omnia evanuisent, hæcenus irreconciliabilia. Cumque abhinc ad quintam *Novembris* natura in sua μεταμορφώσῃ nihil immutasset, alvus iterum constipari, cordis vires opprimi, omniaque inversa viderentur; & ipsa prius in intestinis recondita excrementa sursum rejicerentur, spes omnis convalescentiæ cessit, sed divina gratia motus hic non nisi quinta, nona & quinta decima *Novembris* contigit, dum decocto solutivo ex pulpis natura immutasset; reducta in priorem statum alvo, urina semper suppressa, cum summa necessitas urgeret, quarta *Februarii* anni currentis injectus catheter nihil eduxit, sed mox expetita matula agra urinæ subviridis & faculentæ nixu parturientis omnium admiratione capta lib. 8. absque ullo tamen calculo eminxit; a quo vesica plane reclusa, loco descensus altero tertiove die urinæ graveolentis quantitatem unciarum iij. vel iiij. ad 16. *Maji* ore dejecit. A qua cum balneis fontanæque largo potu nitri spiritu permixto hac æstate uteretur, res eo devenit, ut facie florida incedere queat, modice comedat, urinam singulis claram subflavam cum tenui hypostasi, aliquando mucosam & cruentam ad *drachm. iij.* vel *drachm. v.* alvum vero quarta die sed paucam duramque deponat, subinde vomat, sed minorem longe quam antea lapidum quantitatem. Interim quod onus natura cœsophago excreverat, nunc quoque vesica sæpius acutissimum lapillum excernendo reddit; Abdomen aliquantum, duritie in sinistro hypochondrio, dextraque lumborum regione

one dolente, remanente, tumens, contrectatum, obtusum strepitum allidentium lapidum edit.

Et ut calamitas nulla sola, sic fors contigit miseræ, ut gradus descendendo aliquot ceciderit, non humerum modo, sed & cubitum dextrum cum carpo quarta hujus dislocarit. Ast convalescens, singulare divinæ potentæ argumentum, vivit superstes, subjectum humanæ tragœdiæ & campus amplissimus exercendi ingenii.

Quam enim mirum est, hominem bene valentem in tartarum subito commutari?

Tartarum non unius, sed diversi generis, in imis penetralibus enasci?

Tanto pondere e corpore durum ejici, ut quinque libras lapilli, si omnes coacervassem nullique hinc inde distracti fuissent, ipseque communicassem, excessissent?

Tam diversæ a tophis podagricorum substantiæ? Cum hi emulosa aeri exposita materia incrassentur, nostri vero resolvantur, quod de primis nolens observavi, cum scatulam e ventriculo excretorum aeri relinquendo expositam, in pollinem redacti sint: e contra in spiritum vini aliumve liquorem extra subtilem acidum immissi indurentur.

Quæ vesicarum protinus emergentium sub epidermide flagrantium & redeuntium causa?

Quæ ratio inversi peristaltici motus valvulæque intestinalis?

Quæ via ab ano ad œsophagum clismatibus excernendis data sit? cum diutissimis & crassissimis excrementis Colon cum Recto infarctum fuerit, ut enixus demonstrabat.

Quis iste mucus in vesica?

Quæ causæ colorum viridis & cærulei urinarum perspicui?

Quis locus retentiæ urinæ dandus, cum antea cathetere nihil, dein naturæ impetu summa & excedens quantitas fluxerit, mox cohibita?

Quæ via urinosi laticis per fauces regurgitandi?

Tandem quæ abstinentiæ causa, & unde corpus sine cibo & potu enutritur?

Sed quum mysteria inter sua viscera natura sagax plurima recondat, Anatome si faxit Deus, nobis non pauca cum tempore patefaciet.

Obser-

*OBSERVATIONES QUÆDAM DE CALCULO
in Equo quodam reperto habitæ, & Regali So-
cietati exhibitæ, ab H. P. M. D. & R. S. S.*

Ex Collectionibus Philosophicis Anglicanis no. 7.
a. 1682. p. 191. sqq.

CUM non ita pridem honoratissimæ huic Societati, rerum rariorum studiosissimæ, immensæ molis calculum in villa *Lambethana*, ex equi visceribus exemptum obtuleram, in mandatis tunc habui, ejus & equi pleniorē historiam indagare, & exponere. Sunt qui magno conamine & fastu rationes expediunt, quare res sit, cum tamen ea, si strictiori examine probetur, minime sit. Omnia quæ tunc fuerunt acutiora torsit ingenia pueri dens aureus, cum non esset nisi deauratus. E contra etiam Cl. Salmasius, vir in re literaria primi nominis, sedulo causas quærit, quibus *Aristotelici Problematis* fidem firmet, nullum animalium calculosum esse, præter hominem. Quippe in cæteris animalibus majoribus præsertim vesicæ meatus laxiores sunt, per quos terrenus, & crassior humor facilius & liberius exiret, & inde ait mulieribus & puellis Calculos rarius nasci, quam in viris & pueris. Atque inde insuper pueros frequentius Calculo laborare, quam senes. Calculo autem Renum quadrupedes non esse obnoxios argumento probat, ab ipso eorum statu, & positura ducto, qua semper in terram prona sunt; unde humor ille corporis saccatus, qui per Renes eorum transitum habet, non ibi moratur, nec desidet, sed quasi suspensus vix ibidem potest inhærescere. Tam versatile autem ingenium est hominis, ut alii, cum jam constet Calculos etiam in quadrupedibus gigni, non solum has rationes nihil hic valere probent, sed etiam ex altera parte stare, & in eam sententiam, quam firmare videntur, e diametro prorsus pugnare. Patientiores enim qui sunt in majoribus animalibus, quam in homine meatus, crassius admittunt sabulum, & acinis confertim confluentibus liberiores aditum faciunt, quæ sese in itinere arripiunt &prehendunt, & in eam tandem in vesica accrescunt molem, utpote cui per meatus urinarios minime pateat exitus. Quod alteram partem spectat, humor iste in corpore lixivialis in animalibus, quæ prono incessu pergunt, aptior est

est concrefcere, quia mora & otio torpescit, & inde viscosus evadit: in homine autem erecto serum sanguinis citatiori itinere quasi ex alto in renes defluit, nec inde in arenas coalescit. Sed hæc obiter: redeo ad id, quod in me suscepi. Erat Calculus pondere quatuor librarum, & totidem unciarum, magnitudine quasi capitis humani, & figura non multum absimili, oblonga quidem, non tamen tam rotunda quam sima. Ea quæ quotidie & constanti lege fiunt, negligimus prorsus; in quibus aut errat, aut ludit Natura hæremus, & plane cæcutimus. Ut autem huic rei, in tenebris licet peractæ, aliqualis saltem lux affulgeat, rogo de calculi situ, de equi conditione, ætate, & an aliquo indicio constaret de sanguinis mictione, de urinæ difficultate, stillicidio, aut omnimoda suppressione. Vulgus autem hominum semper fere in his rebus incuriosum est; jumenta si in eo opere, quod severe exigunt, fideliter persistant, nihil ultra quærunt, nec aliud quicquam pensi habent. Ille qui Calculum exemerat, partium opinor earumque situs ignarus, asserit illum inventum esse inter vesicam & intestinum. Et tamen fortasse non totus a scopo & rei veritate aberravit. Calculus quippe ex una parte planus erat & lævigatus, utpote per quam urina continuo cursu non sine lucta & nixu, propter angustum illi relictum locum colata pertransierat; ex altera parte, quæ vesicæ incumberet & adhæreret, asper & rugosus, lapidem bibulum referens, qui cum mole & pondere quotidie cresceret, instar lapidis molaris totam tandem corruperat teneram vesicæ tunicam, ut ejus nullum prorsus maneret vestigium. Et forte, si quis attente adverteret, ipsum firmum propter pondus intestino recto incumbens in aliam, quam qua solet, figuram compressam etiam cum difficultate excerni notaret. De equo dominus, sub quo per duodecim annos fido obsequio & labore meruerat, hæc retulit. Erat statura quindecim palmarum, destinatus pannis vehendis & revehendis, nunc sinceris, nunc coloribus infectis. In iis, quorum nulla certa constat ratio, omnia suspecta habentur. In pannis tingendis plurima petuntur ex mineralium familia, calcanthum, alumen, variique sales, & alia etiam cognatæ sortis ex animalium & vegetabilium classe, quorum etiam hic frequens usus est.

Panni his rebus infecti, & calentes ex puteis extracti in equum coacervantur, qui sub hoc onere gemit & fatiscit. Hic fortasse non

Xx

inepte

inepte quæri potest, an non ex his tam arcte pressis & cohærentibus subtiliora exeant effluvia, quæ furtiva inspiratione attracta, aliquid saltem faciant ad calculi concretionem, & particulas salinas glutine quodam congregent, & uniant? Non parum momenti habet in fide huic conjecturæ faciendæ, quod liquor iste, quo tinctorum sæpius utuntur, Spiritu vitriolico foetus concretionem maxime promovet. Quod videre est in pluribus Angliæ locis, ubi Spiritus iste obtinet, qui quicquid illi obviam fit arripit, ligna, testas, paleas, crusta lapidea involvit. Magna sæpe fiunt ex minimis, diuturna præsertim consuetudine repetitis. Nisi hodie exolesceret prorsus opinio, quæ diu apud antiquos immota stetit, Renum scilicet calorem easdem in Calculo faciendæ partes habere, quas ignis habet in lateribus coquendis, hic inprimis valeret, cum equus sub monte quidem pannoso, etiam dorsi regioni imposito, quotidie laboraret, & anhelaret.

Tam religiose olim cavebant Veteres, ne intensus calor renes adureret, ut lumborum regionem laxo solummodo linteo defenderent, ita ut dorsum non pectus fenestratum gererent. Affirmat Salmasius, se pleurosque vidisse, qui Calculum in Renibus solummodo contraxerant, quod mensæ adsiderent obverso ad ignem tergo. Alio quidem respectu renibus inprimis nocet fervidior æstus, qui tamen Calculo, nisi materiam inveniatur, quæ apta sit concreescere, suum haut confert symbolum. Ab itineribus per aliquot annos Equus desueverat, ita ut nec ephippium nec sessorem sine summa lucta & protervia admitteret, quasi rectius & levius sederet solitum & quotidianum onus, novum autem maxime irritaret: aut provido sensu præfagiit, si ad iter se accingeret, onus, quod jam quasi in pulvinar, dum pedetentim pergit, quietum reclinabat, citatioris cursus exagitatione graviores cruciatus, & molestias daturum. Id quod sæpe videre est in hominibus Calculum filamentis quibusdam in æquilibrio suspensum diu sine magno incommodo gestari, illis autem vehementi aliqua lucta & contentione ruptis in collum vesicæ prolapsum, unde acerrimus in tam tenera & sensibili parte dolor, quem misera mors excipit. Erat insuper Equo pro pabulo quotidiano fœnum aridum; herbosis & liberioribus pascuis per aliquot annos raro aut nunquam gaudebat, in quibus aut commune remedium inveniret, aut fortasse singulare aliquod seligeret, cujus vim & virtutem sensus & experientia comprobassent. Quidni enim eandem

eandem cum aliis animalibus demus solertiam? Canis cibus distentus & gravatus sedulo discurrit, & inter mille alia peculiare suum quærit & eligit gramen, quo vomitu provocato ventriculum onere suo liberet & relevet. Cervus sagitta fauciatus ad suum statim festinat probatissimum in hoc casu dictamnum. Felis, sive male, sive bene se habeat, nepeta sua se relevat & recreat, quæ ideo de suo nomine cataria, & mentha felina nuncupatur. Equus etiam hic bis quotannis, verno scilicet & autumnali tempore, macrescere, & in partibus posterioribus præcipue ita hebes & languidus fieri solebat, ut ægre & vix pedes expediret, & post se traheret. Gravi scilicet onere oppressi fatiscunt spiritus. Ita sæpe videre est membrum aliquod graviore ictu contusum, & spiritibus destitutum atrophiam tabescere, & inutile fieri pondus. Octo autem aut decem ante mortem dies urinam minime reddidit, Calculo scilicet ita omnem capacitatem opplente, ut nullus daretur urinæ transitus. In solum jam se projicit, se verberat, volvit revolvitque, terram pedibus proscindit, & omni, qua potest vehementia, acutissimi doloris exprimit sensum. Sed quod magis adhuc mirum est, per totum illud tempus, quo urina non profluxit, etiam oblatam aquam pertinaciter averfatus est. Quasi ex ipso Naturæ instinctu sentiret, aquas, si non transeant, altiores assurgere, & longe graviora creare tormina. Cum miram hanc calculi historiam pro unica propemodum haberem, omnibus fere numeris occurrit eadem in libro cui titulus, *Le Journal de Scavans*, Gallico idiomatice scripto. Hæc si raritatem minuat, talem tamen Calculum dari posse firmat fidem.

DEL CHIACCIO, è DELLA COAGULAZIONE

Trattati, del P. Daniello Bartoli, della Compagnia di

Giesu. Roma. 1681. in 4.

hoc est:

Danielis Bartoli, Soc. Jes. Tractatus de Glacie
& Coagulatione. Romæ 1861. in 4.

INclaruit jam Autoris præsentis notitia Physica, edito non solum *Venetis in 12. anno 1678.* eleganti Dialogo, in quo Tensio & Pressio differunt inter se, cujus potentia argentum vivum in phialis vacuis

Xx 2

sustinea-

sustineatur, sed & anno 1680 Bononiæ in quarto, integro volumine de *sono & tremoribus harmonicis, & de auditu*. Sequitur jam præsens Scriptum binos in tractatus distributum, quorum prior circa modum glaciationis, circa modos coagulationis posterior occupatus est. Setatur equidem Autor in suis principiis ubique *Peripatissimum*; simul tamen haud obscure colligi potest, modernorum scriptorum, præsertim qui experimentalis Philosophiæ laude cluent, diligentem admodum & lectorem & examinatore laboriosum illum ipsum existere.

Præmissa ergo proluxa Introductione, in qua Deum operibus naturæ etiam minimis, ingeniorum nostrorum arrogantiam deprimere ostendit; Cap. 7. nervum totius Tractatus primi tangit, duas quæstiones, quasi cardinales, in eodem principaliter tractandas, præmonendo: 1. *An congelatio aque fiat per condensationem secundum Aristotelem, an vero per rarefactionem?* 2. *An sola potentia frigidi & sicci glaciem efficiat, an vero præterea tertium quoddam, sive vapores, sive spiritus, sive atomi, a quibus quasi coaguletur aqua in glaciem, requiratur?* Pro harum itaque decisione probabiliori, mox sub libri frontispicio duo insignia quasi impedimenta, binas scilicet opiniones doctas & ingeniosas, de modo congelationis, removet, *Francisci* nempe *Vallesii*, Med. & Philos. & *Rob. Boylei*, Nob. Angli, quorum uterque, ex oppositis licet penitus principiis, tandem concludat, glaciem ex aqua a se ipsa oriri, sive per naturalem quandam consequentiam, h. e. necessarium causarum subordinatarum fluxum. *Vallesii* quod attinet sententiam in *Philos. Sacra*, aquam ceu summum in Natura frigidum, natura congelationem appetere, seu ad eam inclinare, cum frigus congelans summo isto seu primo frigido intensius esse nequeat, eandem cap. 1. propositam, 3. refutat, postquam c. 2. male ac non sufficienter argumentis *Cartesii* impugnari illam, docuisset. *Boylei* vero hypothesin, aquam ex parvis particulis corpus non tam continuum quam contiguum constituere, ita ut particulae istæ in continuo sint motu & agitatione, qua undecunque cessante, glacies per quietem immediate generetur, quoad tria hæc præsupposita & examinat, & pariter c. 4. 5. 6. 7. rejicit.

His ita excussis, ad ipsa congelationis phænomena propius accedit, recensendo 22 experientias sive observationes principaliores, totidem capitibus comprehensas, circa glaciei proprietates & congelandi modos, ab aliis, ut plurimum modernis, iisque fide dignis & experimentorum

mentorū fulcro innixis scriptoribus, annotatas partim, partim & communicatas, quas accurate semper ventilat & examinat: quo eo melius inoffenso pede ad quæstiones istas decidendas pergere queat.

Capite ergo 31, pro prima ista cardinali quæstione, ex Peripato concludit, *condensari aquam sub sui congelatione, non vero rarefieri*. Cum enim rarefactio sit, dum eadem materia, citra alterius materiæ superventum, dilatatur, & in maiorem quantitatem distrahitur, sub aquæ vero glaciatione, copiose admodum aer eam subintret, & glaciem repleat, qui in specie sit levior aqua, conciliabitur ab hoc ipso aquæ major *dilatatio & levitas*, alit non *rarefactio*: nec obstare, quod glacies & aqua, ex qua coalescit, vel in quam resolvitur, sint ejusdem ponderis; siquidem ex diversitate medii aerei & aquei, in quo fit ponderis examen, hoc dependeat.

Cap. vero 34. ad alteram quæstionem cardinalem accedit, postquam *c. 32.* varias opiniones de modo glaciationis recensuisset, & *c. 33.* quædam præsupposita, velut, nec solum frigidum, nec solum siccum esse glaciei causam, elementa quævis mista & confusa esse quamplurimis aliis particulis & corporibus, & aquam speciatim spiritibus salino-nitrosis diversis esse imprægnatam, exactius trutinasset, concluditque tandem, *glaciem fieri a frigido & sicco, cum causis adequatis*, nec alia opus esse qualitate aut substantia, quæ aquam tanquam coagulum lac constingat; spiritus vero salino-nitrosos in aqua promoveri quidem utcunque congelationem, sed hoc saltem, quatenus & ipsi frigidi & sicci sint. Subjungit his denique *c. 35.* ac ultimo phænomena ac accidentia varia, sub aquæ congelatione notabilia, quæ ex sua hypothese explicare nititur.

Tractatus II. saltem appendix videtur, priori isti adjecta, idque ex occasione oppositorum, cum congelatio sit accidentaria, violenta & naturæ injuriosa; coagulatio vero adeo essentialis eidem, ut sine illa paucissima componantur & producantur: unde & speciales tantum modi quidam coagulationum regni animalis & vegetabilis ab Autore considerantur. Præmissis ergo *c. 1.* aliquot observationibus coagulationum fluidorum levi quodam & simplici artificio, *c. 2.* circa animalia observat, humores quosdam corporis illorum non esse coagulabiles, salivam, lacrymas, sudorem, urinas: quosdam vero esse coagulabiles, serum sanguinis, lympham quamlibet, etiam pericardii & pan-

creatis. Sanguinem, quousque intra venas fluctuat, fluidum esse, qui simul ac extravasatus sit, de seipso coaguletur. Causam hujus Phænomeni, quoad prius membrum, negat c. 3. esse motum circulatorium illius, negat pariter, quoad posterius membrum, c. 4. ope fibrarum sanguinis illud fieri, cum potius fibræ istæ sint novum productum, in sanguine exhausto & refrigerato genitum ex partibus terrestrioribus, quæ in coagulum crassius subsideant, & caseosæ lactis portioni respondeant: quin potius in *Thomæ Cornelii Consentini* castra transit, dum affirmat, *presentiam halitus tenuissimi vitalis sanguineas atomas incitare continuo, ut solutæ fluant, & nunquam inter se cohaerescant, cuius expiratione sanguis concreseat.* Attingit denique c. 5. coagulationem ossium, quam ex prædisposita nonnihil materia per vim seminalem oriri asserit: miratur simul potentiam canum in resolvendis iisdem in subtilissimum pulverem, quam ex *Helmontii* aliquot locis potissimum illustrat.

Quoad Vegetabilia, horum ex semine generationem, ex nutrimento coagulationem perpendit, & c. 7. ac 8. recte declarat, quamvis arborem ac plantam non tantum virtute sive potentia, sed potius mole minima in suo semine delitescere, nec esse hoc solam plantæ inchoationem, nec cadaveris modo se habere, sed potius embryonis instar anima propria jam informatum esse: quod semen c. 9. generetur ex subtiliori, spirituosiori & vivaciori totius plantæ substantia, cum humido oleoso permista, & in eodem concentrata, quæ omnia ex medulla, ceu parte plantæ vivaciori deriventur: exinde enim esse, quod citrus aurantio insita pomum perfectum citrium, semine tamen aurantii proferat. Aggreditur postmodum specialius coagulationem plantæ, sub sui ex semine formatione, considerare, ita quidem, ut c. 10. in semine hoc, terræ ceu matrici suæ commissio, spiritus antea sopitos, calore vernali excitari asserat, a quibus blanda cum cæteris particulis fermentatione aperiantur pori pro humidi nutritivi meliori susceptione; idque cum sit aqua, prout scilicet existit, eaque ad quasvis plantas indifferenter se habeat, vi plantæ propria ac seminali transmutari in succum appropriatum, ut coagulata in augmentum totius abeat. Excitados vero ita spiritus magis magisque per humidi penetrationem, fere instar particularum ignearum in Calce viva, blandam fermentationem cum sale dulci vegetabili, ceu principio vegetationis, & acido sulphu-

fulphuris innati,ceu principio coagulationis concitare, ita ut ex aqua ceu principio communi,ac sale & sulphure plantæ propriis,liquor nutriendo cuius parvæ plantulæ membro aptus emergat. Jam vero in plantula ex semine propullulante,cor quasi esse juncturam istam inter binas plantulæ medietates, in quam semina se explicant (utut anima plantæ sit tota in toto, & tota in qualibet ejus parte) & ex qua partim descensus radicis in terram,partim ascensus supra terram in truncum fiat,in quo corde prima humorum contingat alteratio & coagulatio, quorum quod sit præstantius,in medullam abeat,ex qua melior portio in semen denuo colligatur. Pergit denique c. 12. specialiter texturam plantarum mirabilem, juxta vasa & nervos exponere,partim secundum experimenta *Malpighii* in *Anat. Plant.* partim secundum proprias, in quibusdam vegetabilibus,in specie,*Scolymo* sive *Cinara* observationes, una cum reflexione,c. 13. in modum,quo succus nutritius per totam plantam diffundatur,num attractione,an pressione fiat: in quo negotio secundum *Cæsalpini* allegatam explicationem, priori sententiæ adhæret.

DE MOTU ANIMALIUM JOHANNIS

Alphonfi Borelli, Neapolitani, Matheſeos Profes-

ſoris, Opus poſthumum. Pars prima.

Romæ, 1680. in 4.

SI ex ungue leonem dignoſcimus, ex Scripti præſentis poſthumi Auctore ſtatim quoque de præſtantia illius, quantumque hoc ab aliorum hujus ſæculi ſcriptitantium partibus diſtet, augurari licebit; utpote quem alia jamdum edita præclara opera, ſcilicet *Tractatus de febriû malignarum cauſis*, *Euclides reſtitutus*, *Commentarius in Apollonii Pergei Comicoꝝ libros 5, 6. & 7. Theorica Mediceorum planetarû, de vi percuſſionis, de incendio montis Aetnæ a. 1669. ac de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*, poſteritati ſeræ non minus, ac Eruditis noſtri temporis, comendabunt. Poſt tot itaque Borelli noſtri doctiſſima ſcripta conſummatum tandem præſens hoc de motu animalium op9, poſt Autoris fata, auſpiciis CHRISTINÆ SVECIE REGINÆ, curante vero *Carolo Jo. a Jeſu, Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum piarum Præpoſito generali*, publicam in lucem prodiit, cui ſimile, in hoc quidem argumenti genere, viſum hætenus non eſt.

Quam-

Quamvis enim plurimi ex antiquis æque ac recentioribus Scriptoribus quam perspicacissimi de motibus animalium egerint, nemo tamen eorum hac ratione rem aggressus est, prout Borellus felici satis successu fecit, totam animalem oeconomiam sub tractatione hac complexus, ac propositis innumeris problematibus, egregiis scituque jucundis, iisdemque per mechanicas demonstrationes declaratis, quæ tetigit hætenus nemo, aut tractare certe ea ratione nemo seu curavit, seu potuit; ita ut in posterum hæc etiam Physices pars Mathematicis demonstrationibus ornata, non minus quam Astronomia, inter Physico-Mathematicas disciplinas recenseri queat.

Divisit Auctor opus in partes duas, quarum prima anno 1680 edita, de conspicuis animalium motionibus, i. e. de externarum partium & artuum flexionibus ac extensionibus, ac tandem de totius corporis molis ab uno ad alium locum translatione triplici, scilicet gressu, volatu, & natatu, agit: altera demum anno 1681 lucem publicam vidit, & causas motus musculorum, ac motionum internarum, nempe humorum per vasa & viscera, rationes explicat.

Quoad primum ergo volumen, in hoc ante omnia musculorum fabricam & figuram declarat, horum species recenset, actionemque explicat, ac simul *Stenonis* de illorum structura & operandi ratione dogma examinat atque redarguit. Quo facto musculos duplicem vim præstare supponit, unam quæ ab ipsa fibrarum illorum structura dependeat, & quam contra suos antagonistas exerant, fibris propriam dicendam: alteram, quæ a causa extrinsecus impellente, seu ab imperio voluntatis emanet, & in contractione validissima ac voluntaria consistat, vitalem ideo appellandam.

Quamvis autem prioris virtutis motivæ quasdam reliquias paulo post mortem quoque animalis restitare, evidens sit, exiguum tamen satis illarum gradum esse, inde colligit, quod a pondere paucarum librarum illa vis superari valeat. E contra ratione posterioris seu vitalis virtutis, quam vulgo quidem cum priore confundunt, gradus, veteres errasse censet Noster, dum ope machinæ muscularis, debili vi motiva totum animalis corpus notabiliter grave sustineri ac impelli, imo ingentia pondera sublevare, docuerant: contrarium potius asserens, magna nimirum virtute parva pondera elevari ac sustineri, ita ut multoties virtus motiva centies & millies pondus ossium & articulorum

moven.

movendorum superet, nunquam vero illo minor existat, quod per potissimum primæ hujus partis tractum variis theorematibus ac lemmatibus mathematicis prolixè confirmat.

Atque hoc dum præstat, inter alia phænomeni illius Anatomici, cur tendines musculorum non in capitibus aut extremitatibus ossium articulandorum, sed in eorum productionibus, prope articulum, & quidem directione ad ejusdem ossis longitudinem obliqua, alligentur? Hinc, in specie, potentiæ motivæ musculorum nonnullorum, v. g. cubitum ac tibiā flectentium, femur extendentium, deltoidis, ac maxillam flectentium atque manforiorum structuram ac vires mirandas determinat, posteriorum quidem potentiam motivam in homine fere librarum 534 vim, in brutis autem, v. g. canibus, leonibus &c. propter rostrum horum oblongius, potentiam librarum 1350 superare (stupendam sane) evincit. Pariter vim motivam musculorum intercostalium, postquam thoracis maxillarum conformitatem atque difformitatem exposuerat, indagare contendit, & fibrarum omnium musculorum intercostalium multitudinē duplo fibras musculorum temporalium & masseterum superare, illarumque inclinationem anguli semirecti, qui vires in proportionē sesquialtera auget, attendens, vim musculorum intercostalium humanorum resistentiam ponderis 1068 librarum superare infert: in parenthesis quasi allegans experimentum in Anglia superioribus annis factum, quo pondere librarum 100 super vesicam suillam aere semiplenam imposito, nihilominus hanc ab aere, e thorace hominis gracilis insufflato, distentam, simulque grande illud pondus elevatum fuisse observarunt. Imo postmodum sese corrigit, & vim motivam absolutam musculorum temporalium ac manforiorum in homine non minorem esse vi ponderis librarum 16020, intercostalium vero potentiam proxime accedere asserit ad potentiam ponderis 32040 librarum. Atque his peractis progreditur Autor ad operationes ipsas partium & totius animalis, sc. motus artuum varios atque hinc resultantes corporis agitationes, præprimis vero gressum, volatum & natatum, horumque modos & rationes exponit iis præmittendo doctrinam de statione, cum gressus quoque animalium stando peragatur. Qua occasione diversa, ab aliis intacta, aut certe minus adæquate resoluta proponit atque exponit problemata, inter quæ observantur: Cur stando alternis pedibus

Yy

mius

minus defatigemur, quam quando ab ambobus simul fulcimur? Quare aves uno pede innixæ commodius stent, quam homines? Quare aves stando, ramis arborum comprehensis, absque ruina quiescant ac dormiant? Cur sexipedes & multipedes majore labore, quam quadrupedes, stent?

De gressu animalium dum differit, rationes reddit, cur incessus per locum acclivem laboriosus & molestus magis, quam per planum horizontale, & descensus per declivia paulo laboriosior, quam per idem planum, pariterque modum explicat, quomodo incessus hominum calopodiis ferratis instructorum per glaciem fiat? Porro, vim motivam, in homine saltum producentem, ter millies fere ejus pondus superare, demonstrat: & qua ratione muscæ, formicæ, similiave insecta pronis superficiebus vitreis lævigatis adhæreant, & per eas absque delapsu procedant? inquit.

Volatilium motus ubi tractat, docet, quomodo aer impulsui alarum illorum resistat? Potentiam musculorum alas flectentium plusquam decies millies pondere avis volantis majorem existere: & impossibile esse hominem propriis viribus artificiose volare posse.

Natatum explicans inter alia disquirat, quomodo pisces in medio profunditatis aquarum æquilibrati quiescere queant? Eosdem non vi pinnarum, sed caudæ saltem, natare, pinnis vero, præprimis duplicatis illis, quæ in duobus locis infimi eorum ventris extant, immobiles inniti & stare docet. Item, quare aves & animalia quadrupedia naturæ instinctu natent, homines vero naturali instinctu natare nequeant? Tandem vero machinam novam, cujus ope homines aquæ diu immersi respirare & vivere, imo ad sui libitum sub hac ad instar piscium moveri & quiescere possint: nec non navis urinatoriæ fabricam novam & usum delineat.

R. P. CLAUDII FRASSENII PERONENSIS
Doctoris Theologi Parisiensis & Professoris emeriti,
atque Conventus & Collegii Generalis FF. Minorum Parisiensium
Guardiani DISQUISITIONES BIBLICÆ QUATUOR LIBRIS COMPREHENSÆ.

Lutetiæ Parisiorum Anno 1682, in 4.

Cum

Cum præter Celsum, Porphirium, Simplicium, Julianum apostatam, aliosque plurimos olim Christiani nominis juratos hostes, non desint etiamnum maleferiati ac nimis infelices homines, qui Cæcodæmonis votis operam & studium navantes, in Divinos Scripturæ libros bellum redintegrant, atque eorum sinceritatem impugnantes, illos e medio exturbare nituntur (qualis fuit non ita multis abhinc annis larvati *Præ-Adamitarum Parentis* infestus conatus, qualis *Hobbesii*, *Spinoße*, aliorumque hujus ætatis Criticorum in simili argumento non condonanda vesania) his omnibus occurrendum esse duxit P. FRASSENIUS (ex editis antehac Philosophicis & Theologicis aliquot operibus non ignotus Autor) *Disquisitionibus istis Biblicis*. Quamvis autem innumeri propemodum Tractatus ad Sacrorum Codicum sinceritatem asserendam, demonstrandam divinam auctoritatem, & latentia sub rudioribus literæ involucris mysteria manifestanda, summo studio concinnati prostant, & jam actum agere videatur, quisquis nova hac de re Opuscula edere tentaverit; ipse tamen FRASSENIUS ad tabernaculi spiritualis pulchritudinem consummandam, suum quoque ἐπιστάλλον μέγ@ afferre, nec talentum a Deo concredittum defodere voluit. Sed, quæ ipsum vehementius ad hoc opus auspiciandum urfit ratio, ea fuit, ut juniores Theologos, præsertim Franciscanos, ad Sacrorum Bibliorum lectionem & studium, remotis jam offendiculis & via complanata provocaret. Allexit etiam spes alterius non levioris utilitatis; fortassis inde futurum, ut inter Catholicos, Doctrinarum Studiosi ad manum habentes arte concinnata in Sacros Codices Præludia, & graviorum in iis occurrentium controversiarum & difficultatum luculentas explanationes, non minorem in divinis Libris evolvendis operam impenderent, quam Scholasticis, Historicis, aliisque id genus studiis hæctenus navaverant, ne in posterum οἱ ἐξ Ἐκκλησιαστικῆς haberent, unde Romano-Catholicis neglectum adeo Bibliorum studium objicerent, seque solos in divinis Scripturis versatissimos gloriarentur. Ut igitur (quos huic perutili negotio totos præ cæteris allaborasse scribit) Patribus Viennensibus & Tridentinis, ut aliis, hoc studium suis seminariis excolendum in primis commendantibus, Ecclesiæ præsulibus qualescunque suppetias ferrer, in hoc Disquisitionum suarum Biblicarum priori Volumine quatuor Libris comprehenso, necessaria veluti præludia ad S. Bibliorum

intelligentiam necessaria Autor subministrare voluit, alias hujusce divini Libri cœlestes divitias & opes atque divina mysteria in sequuturo Volumine altero nondum edito referaturus. Elenchus Capitulorum in Libris prioris Voluminis hic est. Liber *Primus* exponit varia nomina Cap. I. originem & antiquitatem Scripturæ, Cap. II. quonam tempore Moses floruerit, Cap. III. a quibus literas & scribendi artem sapientes Ethnici hauserint, cap. IV. quod Sapientiæ Græcæ pars maxima a Mosis & Prophetarum Libris profluxerit, Cap. V. quod Moses revera Pentateuchum scripserit, Cap. VI. quonam sermone quave lingua ille S. Scripturam auspicatus, quonam caractere, qua arte, quove scribendi modo usus fuerit Cap. VII. VIII. & IX. utrum Moses sicut Scripturæ Hæbraicæ, sic & Vocalium punctorum autor fit, Cap. X. *Secundus* in variis Scripturæ S. Editionibus & Versionibus occupatus de Editione Hebraica hodierna Cap. I. de Commentariis & Interpretationibus Hebraicæ Editionis, maxime vero Legis Mosaicæ, Cap. II. de Versione Græca LXX Interpretum, Cap. III. de reliquis Editionibus Græcis, Cap. IV. de cæteris Orientalibus Scripturæ Versionibus, Cap. V. de Editione Vulgata Cap. VI. de præcipuis vulgatæ Latinæ Editionis Textibus, qui ab Hebræis dissentire videntur Cap. VII. de aliis posterioribus editionibus Latinis ex Hebraico Textu Cap. IIX, de Vernaculis Bibliorum Editionibus, & inter has Germanica Lutheri Cap. IX. agit. *Tertius* de V. & N. Testamenti Librorum Canonibus cum antiquis tum recentioribus: Eorundem Librorum distributione, integritate, obscuritate, & variis sensibus Cap. I. II. III. IV. Et de cujusque Inscriptione, Autore, Scopo, Divisione, & Controversiis, Cap. V. & VI. sub octo & quinquaginta Titulis tractat. Tandem in Libro *Quarto* præcipui Textus Biblici specietenus pugnantes conciliantur, nullamque in Libris Sacris dissonantiam esse probatur.

LES INSTITUTES DU DROIT CONSUL-

laire, ou la Jurisprudence des Marchands, par

JEAN TOUBEAU.

*Institutiones Juris Consularis, sive Jurisprudentiæ
Mercatorum, Auctore Johanne Toubæo.*

Parisiis 1681 in 4.

Auctor

Auctor est Typographus & Bibliopola Avarici Biturigū, in qua civitate aliquoties functus est annuo Mercatorum Præfecti & Consulis officio. Consulū enim nomine in Gallia Judices Mercatorum appellantur, quos primum induxit publice proposito edicto Rex Carolus IX. anno superioris seculi sexagesimo quarto. Tubæus Typographus & Bibliopola doctus, laudem Manutiorum, Stephanorum, Morellorum, Frobeniorum, Turneborum & similium suæ professionis hominū æmulatus, non solum in alienis scriptis exeudendis & divulgandis occupari voluit, sed etiam ipse litteris aliquid mandare, dignum, quod typis exscriberetur, ac in publicum prodiret. Scilicet cum in functione sua Consulari animadverteret, quam difficile ac periculosum foret, eam sine aliqua Juris, quo cōmercia reguntur, scientia obire, neque tamen systema illius Juris, unde ejus notitia hauriri posset, saltem apud Gallos proflaret, consilium suscepit, Jus, quod ad Jurisdictionem Consulare pertinet, in artem redigere, ut Mercatores in patria sua, cum adepti essent a Jacobo Savario artem negotiandi traditam in libro, quem sub Titulo Præfecti Mercatoris edidit, item ab aliis Collectiones Edictorum, Declarationum, & Rerum Judicatarum de rebus & negotiis suis, haberent etiam a se præcepta Juris, quo utuntur, eaque non adeo magno volumine composita. Non enim, ut in Præfatione ait, Digesta scribere intendit, sed tantummodo Instituta seu Institutiones Juris Consularis, quibus non integra Edicta, Declarationes, Res Judicatas referret, verum summam eorum, nec non ea, quæ ex diversis Juris Auctoribus tum gentis suæ, tum exteris excerptis, breviter, hoc est, elementa Juris, diligenter tamen & eleganti ordine complecteretur. Totum autem opus in duos libros partitus est. Priori nihil aliud propemodum agit, quam ut justo commentario illustret Edictum supra memoratum Caroli Regis, ita ut insinuet, quicquid de ipso officio Consulū sive de ipsa consulari Jurisdictione dici debuit, nempe de origine Consulū, & cur placuerit Mercatorum litibus dirimendis singulares Magistratus dare; de Consulū Electione, Munere, Juramento, Duratione, Titulis, Honoribus, Prærogativa, Privilegiis & Immunitatibus; de requisitis, ut aliquis ad Consulatum aspirare possit; quibus moribus, quave scientia eum instructum esse oporteat; quomodo se gerere debeat in administranda justitia & in reddendo jure; de numero Consulū judicantium; quousque jurisdictio eorum se

extendat, num etiam ad loca extra civitates suas sita porrigatur; de modo procedendi in hoc judicio, tum quem ipsi Judices, tum quem litigantes servare debent; maxime ut litigantes in primo statim termino compareant, & nullo adhibito advocato vel procuratore ipsi agant, & se defendant. Id quod ut optimum inventum abbreviandæ litis laudatur, etsi prius, ut in primo statim termino se sistant, usu pariter, & novo Rescripto mitigatum sit. Porro Personas, quibus; & Res, de quibus Consules jus dicunt, fuscè tradit, item an, & quando, & quatenus Appellatio concedatur a Consulibus sententiis; nempe non aliter, quam si reus in majorem 500 libris summam condemnatus fuerit, sed tamen ut nec tum quidem executio sententiæ suspendatur, præstita ab adversario cautione. Pergit de executione sententiarum, de judicii personis accessoriis, non minus tamen necessariis, veluti de Actuarius, & Apparitoribus, denique de locis & ædificiis, ubi Mercatores & Consules convenire solent, differere. Posteriori libro res illas Auctor persequitur, super quibus in exercenda Mercatura litigatur, id est, objectum, circa quod Jurisdictio Consulibus occupata est. Quo pertinent pacta & epistolæ Mercatorum, Probationes quæ ab iis exiguntur, Jus prioritatis in venditis mercibus, Cautiones Mercatorum, Correi, Fidejussores, Cessiones, Exceptio non numeratæ pecuniæ, Libri Mercatorum, Societates, Mandata, Factores, Proxenetæ, Cambia & Recambia, Literæ Cambiales, nec non schedulæ istæ, quibus mercatores cavent, pecuniam, quam ex mutuo vel alio quam cambii contractu debent, se soluturos esse, neque tamen causam debiti exprimunt, cæterum nomen literarum cambialium indunt; a quibus schedulas illas maxime differre docet usitatas etiam inter non Mercatores, sed tunc ad Consulare Jurisdictionem non pertinentes. Addit deinde commercia maritima, (quorum cognitio tamen novissima Regis constitutione Consulibus adempta est, & Præfectis rei navalis seu classicæ demandata), Communionem bonorum inter vivum Mercatorem & ejus foeminam, vi cujus uxor nullam prærogativam ante creditores mariti habet, nisi separationem bonorum impetraverit, quæ tamen ex certis tantummodo causis, certoque modo permittitur. Sequuntur induciæ moratoriæ, Cessiones bonorum; & denique tractatu de Fallitis & Decoctoribus librum finit. Ubi optimum institutum Regum suorum refert, quod fraudulentos Decoctores, eorumque Receptatores & Adjutores severissimis pœnis persequantur.

PETRI

*PETRI FRANCII POEMAT A ad Celsissi-**um Principem FERDINANDUM Paderbornensem**ac Monasteriensem Episcopum.*

Amstelodami, Anno M DC LXXXII. in 12.

Postquam superiori anno mortalium rebus exemptus esset, elegantiorum literarum summo cum detrimento, omni doctrinae genere clarissimus & carminum gloria nulli secundus NICOLAUS HEINSIUS, istius funere extincta simul videbatur poeticæ facundia in Belgio vis, & deleta omnis, quæ a Scaligero, Grotio, Baudio ac patre Daniele in Nicolaum filium derivata fuerat carminis venustas & dignitas, oppressaque poetici spiritus majestas, quæ tot auctoribus omni eruditionis ac studiorum genere exulta isti genti olim constabat. Neque enim in Criticis saltem studiis, omnium recte æstimantium judicio principatum apud Belgas tenuerat exactissimi judicii Vir, cujus præclara in hoc literarum genere extant monumenta, quæ cum usu publico communicavit, nec minora censenda ea, quæ intra Vestæ penetralia liberali asservabat custodia: sed ab ipso etiam condita Poemata captu seculi nostri superiora sunt & ad eruditissimæ antiquitatis gloriam adspirant, quodque argumentum est absolutissimæ scriptæ, Reverendissimo & Celsissimo Paderbornensium ac Monasteriensium Episcopo FERDINANDO L.B. DE FURSTENBERG, principi studiorum ac omnis eruditionis sine controversia, præ omnibus aliis recentium Poetarum scriptis se probarunt. Cumque nihil omnino mortalium per orbem literarum famæ commendatorum, aut præstantis eruditionis ac cum primis poeticæ facundia laude florentium inveniatur usquâ, quod ad hujus summi Principis, ceu veri Apollinis ac tutelaris studiorum Numinis, favorem non decurrat: ac in Gallia paucos intra annos præstantissimi ex ordine Societatis Jesu Poetæ, Joannes Commirius, Carolus Ruæus, Albertus Daugieres alique qui ex Heliconis unda caput extulerunt, in Mæcenatis hujus sinum confugerint: eidem communi Musarum Patrono sua quoque sistere & carmina consecrare voluit cultissimus inter Batavos hodie Poeta PETRUS FRANCIIUS. Nam qui antea scripto ad Heroem hunc in literis maximum Panegyrico, facile eum ac munificum esset expertus (quod is suos alumnos non Caballino solum fonte velut Appollo proluit, sed e pefrui beneficentiæ scaturigine inun-

inundat, quoties aureo imbre instar Jovis ad hos descendit;) principali munere ab Eo donatus egregium etiam Eucharisticum carmen condidisset, idque summo favore exceptum intellexisset; id sumsit consilii, ut in fascem collecta præstantissima sua Poemata Maximo Principi inscriberet & consecraret: quo egregio libello eximium documentum superstitis poeticæ in Batavis facundiæ dedit. Complexus enim est isto Carmina, quæ diversis temporibus vario genere in laudes obitusque clarorum Virorum confecerat, quæ item de argumentis aliis ad præstantes Viros scripserat, eo sermonis nitore cultuque dictionis condita, ut ad dignitatem Majorum suorum, eruditissimorum cum aliis omnibus tum eo præsertim eruditionis genere, quæ sermonem in numeros apte disponit, proxime eum accedere quivis hujus artis peritus agnoscat. In *Heroico* carmine *Δεινότητι* ac majestatem servat argumento convenientem: nam in Panegyrico & Eucharistico Principem omni laude majorem eruditionisque gloria omnibus aliis superiorem decantat; In *Epicedio* Belgarum Archithalassum Ruitum fortiter in Siculo mari adversus Gallos pugnans, inque ipsa victoria occumbentem describit, vere *αυθαιμαρ πρᾶξι* propositam sibi habens & *ἡρωικῆς τύχης περίεσσι*, quam graviter & ad Veteres poetarum leges numerosque (quos in pronuntiatione etiam, quoties poema in conventibus doctorum Virorum recitat, eum exacte & decenter servare ajunt) exactam absolvit. In *Elegiis* facilitatem venustatemque mireris, tam iis quas in sacris rebus de nativitate, passione, morte, resurrectione Servatoris, ac Spiritus Sancti missione occupari voluit, quam illis quas de aliis argumentis ad eruditissimos viros Nic. Heinsium, Joh. Georg. Graevium, Jac. Gronovium, Jac. Wallium, Renatum Rapinum, Jan. Broeckhusium scripsit; quæ e Castalio promanare videntur fonte, nec fuco aut denociniis, sed in affectato cultu & naturali pulchritudine assurgunt. *Eclogarum* venusta simplicitas, & *Epigrammatum* non longe quæsitæ sed ex ipsa repetitæ, elegantes argutiæ & innocentes lusus Lectoris mentem demulcent: cum primis autem ista, quæ e veteribus Græcis epigrammatibus, collectis in Volumen, Nectareum illud Apollinis, Musarum, Venerum, Gratiarumque mellificium, sub *Anthologia* nomine proditum, Latinis versibus expressit, horum studiorum amatorem ad se rapiunt: rotunditatem enim venustatemque Atticam Romano lepore feliciter æmulatus est, exemplo Erasmi, Scaligeri, Casauboni, Grotii, Hein-

Heinsii, Vulcanii, majorum suorum, quos adeo æquis passibus secutus est, ut Jo. Georgio Graevio, in Græcis, ut aliis omnibus, eruditissimo viro & studiorum horum exactissimo censori, suum isthoc studium valde approbaverit. Cujus doctissimi Viri judicium, si nil aliud esset, vel solum summam Auctori laudem conciliaret: nos sane movet, ut quod Richardus Thomsonus olim de Paulo Stephano, cum ex Epigrammatum Græcorum volumine, omnis Græcanicæ pariter sapientiæ & festivitatis thesauro, quædam in Latinum sermonem vertisset, prædicavit, ad Francium transferamus:

Cum tua compono Græcis epigrammata, Petre,
Dispeream ni te surripuisse putem
Et genium ingeniumque illis, laudemque rotundi
Oris, & hanc penitus, quæ placuit, Venerem.
Scilicet hoc quod Roma sibi nec Bilbilis illi
Docta dedit, tu das: Græcia victa jacet.

Christian Weisens Reisse Gedancken/ das ist/ al-
lerhand Ehren-Lust- Trauer- und Lehr-Gedichte/ zur Ver-
besserung der überflüssigen Gedancken heraus
gegeben.

Leipzig 1682. in 8.

CHRISTIANI VVEISII *Meditationes Poeti-
ca maturiores*, id est, varia gratulatoria, festiva, funebria &
moralia carmina Germanica, ad diluendas *superfluas Medita-
tiones*, sub quo titulo antehac jocosa Poemata pro-
dierant, editæ.

Lipsiæ 1682 in 8.

Elegantiarum quas aliæ linguæ proprias habere vulgo creduntur,
Germanicam minime expertem esse, sed ab horrore prisco ad cul-
rum, quo hodie gaudet, evectam, Græcam rotunditatem, Romanam
majestatem, Hispanicam gravitatem, Gallicam venustatem, Hetruscas
Veneres, Anglicam volubilitatem, & Belgicam dignitatem referre,
multis insignibus argumentis hoc seculo comprobarunt quinque pe-
culia-

Zz

culia-

culiæres de linguæ hujus præstantia & nobilitate commentarios scripserunt; & documenta haud contemnenda dederunt, qui vel in soluta numeris vel iisdem alligata oratione scripta posteritati reliquerunt, quæ cæterarum gentium Scriptoribus Germanos sua lingua utentes nullo in genere inferiores esse ostendunt. Inter hos verum ac nativum Germanicæ linguæ decus & usum in utroque scribendi genere

vorsis seu prosis solveret ora modis

præstantissimis etiam documentis asseruit *Christianus Weisius*; cujus dictio pura, tersa, nec affectata, aut anxie quæsitæ longeq; accersita est, sed verbis propriis, ac eorū structuris perspicuis, sententiis item apertis & per universam Germaniam receptis composita, cuius linguæ hujus vel modice perito faciem ac obvium sensum præbet. Non disjectæ sunt, non novæ adhibitæ, non inusitatæ & ex præpostera æmulatione aliarum linguarum dura compositione contortæ voces, non ex peregrinis linguis transsumptæ phrasæ, non obscuræ sententiæ longe accersitis allegoriis involutæ fabulisve implicitæ, sed æquor illud castigatum leniterque decurrens per numeros limpidi ac sponte nati obviiq; sermonis, facilitatem ac perspicuitatem, elegantiam ac rotunditatem linguæ hujus aliis nil concedere ostendit: adeo ut Germanicæ linguæ ignarus faciliori longe negotio & leviori opera ejus usum ex auctoris hujus monumentis sibi comparare queat, quam ex aliorum libris, qui eam in artem redegerunt. Cumque is plures hætenus ediderit libros, in quibus exquisitis potius exemplis quàm solícite & ambitiosè conquisitis præceptis, linguæ hujus oratione soluta non magis quam ligata decurrentis verum & genuinum usum, in civili potissimum doctrina & communi vita quem obtineat, tradidit; quemadmodum *Oratorem politicum* Germanicum, & utiles *Meditationes Juventuti necessarias* hoc fine antea emisit in publicum: jam sub elogio *Meditationum maturiorum* eos exhibuit a felici ingenio (quod natura ad poesim & elegantiores artes finxisse videtur) natos, & longa exercitatione adultos factus, quos maturior ætas exclusit; cum priores, quos publico dederat, felicissimi cultissimique ingenii fructus, juvenilem magis ætatem decere censeat. Omne autem studium eo confert, ut juvenum sermones formet, ac inventionum fontes demonstret, eloquendique artem doceat, propositis exemplis clarissimis ad quosvis humanæ vitæ actus conducentibus. Votiva enim carmina, & sermones gratulatorios va-

riis

riis occasionibus convenientes, epicedia & epithalamia in diversæ fortis homines, varios ad casus deducta, epitaphia quoque nonnulla, moralia autem plurima poemata exhibet, orationesque hujus generis soluto sermone scriptas complures admiscet, ea verborum elegantia ac facilitate, stili venustate, argumenti varietate, & doctrinæ non affectatæ copia adhibita, ut exempla præclara quibusvis in quosvis vitæ humanæ casus suppeditare possint, ac ostendere, qua ratione eos sermone commodo prosequi & orationem in varios habitus fingere apteque componere deceat. Cujus artis uberiolem & absolutam tractationem, viginti annorum studio collectam, & crebris confirmatam experimentis, se aliquando editurum esse, pag. 539. pollicetur.

Sub finem libri appendicis loco festivum *Drama satyricum* adjecit, ejusdem ferme argumenti cum alio ludo scenico, quem hoc ipso anno sub titulo *Absurdorum Comicarum* dedit; isti similem, qui Gryphii Poematibus innexus Petri Squentii nomine insignis canticorum, quos vocant, magistros eorumque inconditam poesim perstringit, ac Danielelem Swenterum autorem habere fertur. Nam ut in isto ineptam & absurdâ condendorum Dramatum scenicorum rationem facietis eludit jocos: sic in hoc turbam infeliciū poetastrorum, Germanicæ linguæ restauratorum, quos se jactant, exagitat: qui ineptas novas literarum mutationes, ac monstrosas vocum, phrasium & constructionum in Germanica lingua rationes commenti, in cœtum coeuntes magnifica se de lingua Teutonum Heroica conferre consilia, laborantique Germaniæ subvenire stulta persuasione credunt, si extritis e quibusdam vocabulis longo usu receptis literis alias inferant, novaque nec audita antea afferant vocabula, & in syllabis litteras, syllabas in vocibus corrumpant, ac exturbatis omnibus vocibus, quæ alienigenæ sunt & externæ, aut accersitarum ex alia lingua speciem saltem præ se ferunt, licet longo usu firmam acquisiverint possessionem, hac tamen eas ejiciant, & horridas incompositasq; substituant, orbique obtrudere gestiant: nulla interim dignitatis ac venustatis in carmine, cujus gloriam sola laurea ostentant, habita ratione, quod misere & invitis ac nolentibus Musis consuunt. Hanc scabiem facietis jocos defricat, & vesaniæ horum fungorum lepide illudit in hoc dramate festivus Autor: qui in gravioribus argumentis artem condendorum ludorum scenicorum, qua non minus ac in aliis præstat, hactenus exercuit. De Jacobi enim Patriarchæ biga-

nia, Abrahami fide, quæ in mactandum obsequiose filium unicum valuit, Jephthæ voto & ex eo secuta filii immolatione, Marchionis Ancræ ruina, & insigni isto Neapolitano rebeli Pseudo-Regulo Masaniello, ac rusticano Macchiavello, aliaque, quæ vel in theatrum produxit, vel typis exscripta in publicam lucem emisit dramata, ea affectuum vi, morumque convenientium apta dispositione, partium connexionem, rerum varietate, ac dictionis venustate condita sunt, & ad leges dramaticas exacta, ut Germani ad veterum Græcorum & Romanorum, hodiernorumque Gallorum, Italorum & Anglorum gloriam & perfectionem hac quoque in arte accedere intelligantur.

INVENTA NOVA, EXHIBITA PARISIIS

Societati Regiæ Scientiarum

a D. T.

OMnibus jam notum est, reflexionem radiorum Solis in corpore concavo punctum efficere, quod *focus* appellatur, quia in eo ipso radii uniuntur & comburuntur. In hunc autem usque diem solum hoc punctum unice ab omnibus consideratum fuit; hic Autor vero longius multo progreditur his suis speculationibus. Monstrat enim, qua ratione non solum hoc ipsum punctum foci considerandum sit; sed etiam qua ratione integra aliqua Curva debeat concipi, qualis scilicet formatur per intersectiones radiorum reflexorum.


Tab. XIX.

Ut conceptus ejus magis exprimat, per radios MW, NW, OW, PW, &c. repræsentat radios Solis incidentes in corpus aliquod concavum. (Vid. Fig. I.) NB, OC, PD, QE, RF &c. exhibent radios reflexos; qui efficiunt infinitas intersectiones in punctis A, B, C, D, E, F, &c. adeo ut hinc formetur Polygonum constans ex lineolis AB, BC, CD, DE &c.



Verum si distantie illæ MN, NO, OP, PQ &c. concipiantur infinite exiguæ, polygonum A, B, C, D, E, F &c. exhibebit lineam curvam, cujus Tangentes erunt radii reflexi; & punctum A erit focus in quo radii reflexi in corpore concavo comburuntur.


Interim quia non sufficit, si quis observaverit saltem hinc lineas curvas sic formari, nisi & scientificè determinetur, cujus sint naturæ: Methodum exhibet Generalem, ope cujus curvæ tales formatæ ex intersectionibus radiorum reflexorum Geometricè possint determinari.

TAB. XIX.



ada. 1682
pag. 364.





minari; & ut exemplum exhibeat Methodi hujus Generalis, in specie ostendit descriptionem Curvæ illius, quæ formatur a radiis solaribus in speculo ordinario sphaerico, hac ratione:

Sit data quarta pars Quadrantis CDE (Fig. 2.) describatur Semicirculus AGE; hoc facto, ducatur linea quæcunque, veluti FD, parallela ad AC: tunc pars DG, intercepta intra quadrantem CDE & semicirculum AGE, secetur bifariam in puncto H; & sic prætendit Autor quod punctum hoc H sit aliquod ex infinitis, quæ constituunt curvam BHE a radiis reflexis formatam; ex quo sequitur, quod focus B debeat esse in loco medio radii AC.

Hiscæ adjungit aliud quid non minus curiosum: Methodum nimirum mensurandi infinitas numero curvas; reducendo eas ad rectas ipsis æquales; id quod efficit sequenti Theoremate:

Si radius DF & similes quicunque incidant in curvam quæcunque (Fig. 3.) AFE (sive sit Geometrica, prout eas Dn. Des Cartes sic vocat; sive sit Mechanica, veluti est Cyclois, Quadratrix &c. sive quoque libera manu sit formata: *modo semper convexa ad easdem partes existat;*) & ea ratione ut radii reflexi per intersectiones suas, prout supra explicatum, hinc forment curvam aliquam BGE; dicit Autor, quod radius incidens DF & reflexus GF simul sumti semper sint æquales portioni curvæ GE, quæ intercipitur intra punctum Tangentis GF in G & punctum E, ubi fit contactus duarum curvarum AFE & BGE; hinc quoque sequitur quod CA & AB, ubi radius incidens & reflexus coincidunt, debeant esse æquales integræ curvæ BGE. Præterea Regulam quoque exhibet, ope cujus Tangentes, curvarum non solum Geometricarum, sed etiam infinitarum ex Mechanicis determinantur, verum tanta facilitate ac generalitate, ut existimet, hæcenus similem non exhibitam quæ ad eandem accedat.

Tandem monstrat Methodum universalem, auferendi omnes terminos intermedios ex data æquatione, id quod hæcenus adhuc desideratum fuit in arte Analytica.

CONJUNCTIO MAGNA JOVIS ET SATURNI, d. 14. Octobr. st. vet. Anno 1682.

Lipsiæ observata.

Quantis, cum inter se, tum a cælo dissidiis, Cōjunctiones Magnas Tabulæ signent Astronomicæ, illustri exemplo ea quæ superiori mens.

Z z 3

Octob.

Octob. contigit, testatum fecit. Hanc enim *Argoli Ephemerides* & *Tabula Riccioli* Octob. die 20; *Bullialdica* 21; *Wingbii* 22; *Rudolfina* 24; & *Lansbergiana* 29 futuram voluerunt: 14to vero contigisse, Observationibus tum temporis institutis palam fuit. Juncti autem sunt ambo Planetæ prope stellam Leonis, in *Uranometria Bayeri* Lit. \downarrow notatam, cui *Rudolfina* 19 gr. 4. min. Leonis Longitudinem, cum Latitudine 16 min. Borea assignant: ita ut Hora tertia matutina, Jupiter rectam a Saturno ad Fixam \downarrow productam pauxillo supergressus videretur, Saturnusque 14 min. Jove borealior existeret. Constituebat tum Jupiter cum Satellitibus rectam, ad quam perpendicularis e centro Joviseducta orientalem Saturni marginem tangebatur. Quod si ergo Saturni, Jovis & Fixæ \downarrow conjunctio simul incidisse statuatur, supposita ex *Rudolfinis* Fixæ Longitudine & Latitudine superscripta, *Rudolfina* Ricciolique Tabulæ ad observationem, juxta appositam Tabellam, ita se habent:

	Observata	Rudolfin.	Differ.	Riccioli,	Differ.
	o. /	o /	/	o /	/
♂	Long. 19. 4. Ω .	19. 30. Ω .	26. \oplus	19. 23 Ω	19 \oplus
	Lat. 0. 51. B.	0. 52. B.	1. \oplus	1. 0. B.	9. \oplus
♂	Long. 19. 4. Ω .	18. 56. Ω .	8. --	19. 3. Ω .	1. --
	Lat. 0. 37. B.	0. 42. B.	5. \oplus	0 43. B.	6. \oplus

CONRADI SINCERI, Civis Germani, de Germanicarum Legum Veterum, ac Romani Juris in Republica nostra origine, auctoritateque præsentis Dissertatio Epistolica.

Prostat Lipsiæ apud Mauriti. Georg. Weidmannum. A. 1682. in 12.

Res sunt sententiæ de hoc argumento; *Vulgaris* & *scholasticorum* Juris Civilis interpretum, Legistarumve, uti vocantur, est: Jus solum civile sive Romanum in foro Germanico esse receptum, sive jam tum a Lotharii Imp. temporibus, sive jussu saltem Maximiliani I. *Alter* sententia est huic e diametro contraria, quam Sincerus propugnat: Jus Romanum nec solum, nec principaliter esse receptum, sed veteres leges Germanicas adhuc in vigore esse, & fundatam allegantibus dare intentionem, Jus vero Civile secundario duntaxat & velut instrumentum adhiberi, nec suppeditare intentionem fundatam allegantibus, nisi probent, peculiari constitutione, consuetudine, ac re judicata hac in parte receptum id esse. *Tertia* & media sententia denique est: præter Jus pa-

patrium & veteres Leges Germanicas Francorum, Saxonum, Aleman-
norum, receptum superioribus seculis fuisse etiam Jus Romanum, non
peculiari constitutione, sed usu & consuetudine fori, ita ut fundatam
intentionem habeat allegans legem Romanam Juris Justiniani, nec o-
porteat observantiam ejus probare, sed reo incumbat probare, illam
propter contrarium Jus Germanicum non potuisse recipi. Hanc
sententiam in primis defendit celeberrimus Jureconsultus *Jo. Schilte-
rus in Commentariis ad Pandectas in Juris Praxi Rom. in foro Germa-
nico*, per totum, præsertim vero in *epistola dedicatoria* ad Illustrem Se-
ckendorffium, & *Exerc. I. §. 11. sq.* atque in responso *Exerc. XXX. §. 138.*
Prior sententia cum ex abusu Doctorum Italicorum, Juris Germanici
imperitorum, fuerit orta, suo merito exploditur a Sincero, & contra
eam Juris Germanici vigor erudite solideque demonstratur, atque ad
contrarias rationes respondetur. Quod ad mediam illam attinet,
quam a pag. 101. sqq. sibi impugnandam suscepit Sincerus, doctissimus
Auctor, cum quo illi est negotium, hæc nobis communicavit:

Scernenda est in hac tractatione ante omnia Llatoria prudentia ejus-
que ratio, qua disputatur aut suadetur, ut esse quid debeat aut possit, a
prudentia Judiciaria, ejusque docendi ratione, qua traditur, id quod est, &
ex certa hypothesi aliter pro re nata esse vix possit. Sinceri scopus prior est;
posterior ejus, contra quem disputat: unde hic inconsultum merito arbitra-
tus, ulcus illud tangere, quod ad Llatoriam potestatem pertinebat, cujusque
hic tractatio totam rem invidiosam odiosamque pragmaticis hominibus
fecisset, auctoremque omni spe optima intentionis sue penitus fraudasset.
Prudenter enim atque per gradus *Augiæ* istud stabulum purgandum est
nobis, impetu non admittimur. Porro quum usus fori Germanici semel
receperit hoc principium: Jure Civili fundatam intentionem haberi;
certe privata auctoritate fieri non potest, ut hoc ex animis pragmatico-
rum eximatur, & ex foro eliminetur. Ut veriora tamen principia
illis ipsis eo facilius insinuentur, cautius agi videtur, si, prout res est, jun-
gantur compatible, quatenus talia sunt, ac doceatur: Utroque & Ro-
mano & Germanico jure fundari intentionem in foro posse, quatenus
hoc illi non contrariatur. De Romano jure res certe dubio caret, quia
usus fori hic magister est, arguens intentionem Llatoriæ potestatis hæc ad-
mittentis, nec fori tantum, hoc est, judicum & causidicorum vulga-
rium, sed & summorum tribunalium & Scabinatum Collegiorumque Ju-
ridi-

ridicorum consensus, qui utique hactenus jus facit. Longe alia itaque est ratio allegandi leges civiles in foro, quam loca Poetarum & Oratorum, aut Juris Attici vel alterius in foro nostro nunquam recepti, quorum allegatio vim obligandi non habet; Juris Civilis habet, ex usu & fori observantia, de qua disputare Legislatorie, non Judiciarie prudentia est. Quare etsi nulla expressa constitutione vis obligandi Juri Romano concessa sit, consuetudine tamen atque observantia tacitoque populi consensu eam obtinuisse, in aperto est omnibus qui in foro versati. Prudens vero interpretes & hic attemperat peregrini juris introductionem, ut segreganda ea doceat, quae principiis juris patrii, moribus populi, & statui publico, aut expressis sanctionibus adversantur. Neque certos designare interpretes opus hic fuit; omnibus enim haec provincia ipso jure demandata est, at plerique omnes de Jure Romano in eo consentiunt, quod fundatam praebeat intentionem; igitur haec prudentum interpretatio a summa potestate Llatoria, quae provinciam interpretandi concedit, confirmata censetur, ipsaque Llatoria potestas voluisse intelligitur, ut Jus Romanum non tantum lex fiat, sed etiam ut sit in foro Germanico. Et fallitur opinio, quisquis putat, sola expressa promulgatione jus fieri, & non etiam tacita receptione longoque usu, forique observantia; quae cum in legibus Graecanicis in leges XII. Tabularum non relatis, haud appareat, frustra illa huc trahuntur. Plane illud incommodi utique habet haec res, quod duplici jure communi in foro utimur, ut quae lex Romana non sit recepta, aut quae principiis juris patrii repugnet, non satis conveniat interpretibus, adeoque vagum jus aliquo modo habere nos in foro nostro, insicias ire vix queamus. Unde & factum, quod superiori seculo plurimi Status jura Provincialia atque Ordinationes certas sibi fieri fecerint; idque praecipue ad normam Juris Romani. Ex actis Comitiorum Moguntinarum Anni 1441. hoc recte arguitur: Si Ordines voluerunt, ut totum jus Justinianicum abrogetur per Imperium, exceptis legibus jamtum usu expresse receptis; igitur praeter has totum, si non usu aut actu secundo, saltem intentione & actu primo fuisse receptum intelligitur, alias non opus fuisset, ut abrogatio desideraretur. Tale quid autem, ut jam antea dictum, neque de jure Attico, neque alio dici potest, quod usus fori non ut Jus Romanum agnovit. Ex his itaque satis apparet, Jus Romanum usu fori nostri receptum esse, idque magis adhuc speciatim constat in iis Juris partibus, de quibus Jus patrium vetus nihil sancivit; veluti res testamentaria est, qua semel recepta in forum nostrum, non potest esse dubium, quin qui allegat textum istius juris, fundatam habeat intentionem, etsi observantiam non habeat probare. Similiter certa actionum genera a Prudentibus Romanorum adinventae & inter sese discretas, quoniam in foro nostro admissae sint, dubitare non potest, nisi qui usum & stylum ejus ignorat. Caterum cum multa sint & in Romano & in Patrio jure, ut nihil de Canonico dicam, quae usus fori respicit, optandum esset utique cum Sincero, ut juris Germanici prudentia a summa Llatoria potestate rectius constitueretur. Interea quo minus vagum jus doceamus, utriusque juris principia ac fundamenta penitus sunt eruenda & solidius ponenda, mores utriusque populi & status diversa Reipublica rite discernendi, & quae secundum has normas receptibilia sint, accuratius dijudicandum; cujus rei glaciem in Commentariis ad Pand. fregisse sufficit, gloria persiciendi felicioribus ingeniis merito relinquitur.

